





8549

7

PROGRAMMA INAUGURALE 1764, 3  
IO. IVSTINI SCHIERSCHMIDII D.  
SERENISSIMO MARGGRAVIO BRANDENBURG. CVLMBAC.  
A CONSILIIIS AVLICIS ANTECESSORIS ET PHILOSOPHIAE  
PRACTICAE PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII  
FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORIS ET H. T. DECANI

DE VSVRIS  
VLTRA QVINCVNCES LICET  
PROMISSIS NON EXIGENDIS

DISSERTATIONI INAUGURALI  
NOBILISSIMI ATQVE CLARISSIMI VTRIVSQVE  
IVRIS CANDIDATI  
IOANNIS FRIDERICI HAVSCHILD  
DRESDENSIS  
ADVOCATI SAXONICI IMMATRICVLATI  
DE  
FRVCTIBVS A MALAE FIDEI  
POSSESSORE RESTITVENDIS  
EORVMQVAE VSVRIS  
PRAEMISSVM.

ERLANGAE

TYPIS WALTHERIANIS MDCCLXIV.



PROGRAMMA INVACTIONE  
IO. IUSTINI SCHIRRSCHMIDII D.  
STRENGTHIO MATHEMATICO BRADUOQUE VALISAD  
A NOBIS AVISITIS ANTISSIMO ET REHIBITIONE  
THEATRO PROPOSITIS SYLLABO GYMNASII  
IUSTITIAE IUDICIS APOSTOLICI ET M. T. DECANI

DE VSVRIS  
VERBA QVINCVANCES LICET  
PROBASSIS NON EXIGENDIS

DISSERTATIONE INVACTIONE  
KONIGLICHEN ABOVE THEATRO ET THEATRO  
IUS CANDIDATI  
IOANNIS FREDERICI HAVSCHILD  
DOKTORIN  
KONIGLICHEN THEATRO

DE  
TRVCTIBVS A MALAE FIDELI  
POSSESSORE RESTITVENDIS  
KONIGLICHEN VSVRIS  
TRAMISSUM

BRANDEN  
HABITUS M. T. DECANI






**Q**uamvis in variis imperii Recessibus diu saepiusque  
usurae ex mutuo provenientes ad quincunces fue-  
rint restrictae; plures tamen inter recentiores has  
imperii constitutiones magis legum prouisionibus  
adscribere volunt, et idcirco easdem pro regula tantum  
venditant, ex qua usurarum quantitas pacto adiecto non-  
dum definita determinanda veniat, ita, vt semisses quoque  
usuras tunc saltem exigere liceat creditori, si pacto mu-  
tuo adiecto tales expresse promiserit debitor; praesertim  
in casu, quo consuetudinem prouincialem semisses permit-  
tentem allegare possit creditor. Ac proinde huic condi-  
tionem aut ex stipulatu aut ex moribus ad semisses usur-  
as dari posse autumant. *STRYKII Vfus Pand. Modern.*  
*tit. de Usuris §. 11. KOEPPEN Decis. 22. n. 14.* Inter-  
rim negandum non est, hanc opinionem nostro aevo mag-  
is ac quidem olim impugnatam fuisse, ita, vt in pluri-  
mis Dicasteriis licet in mutuo semisses usuras promiserit  
debitor, illudque promissam iudiciali quoque autoritate  
confirmatum existat, nec minus creditor prouincialem con-  
suetudinem allegauerit, et probare paratus sit; tamen lo-  
co semissium promissarum quincunces tantum creditori ad-  
iudicari soleant. A themate igitur, quod **NOBILISSI-  
MVS DOMINVS CANDIDATVS** in dissertatione sua inau-  
gurali pertractauit, alienum non erit, si quaedam argumen-  
ta, vnde hodie haec quaestio decidi solet, attingam.


A 2

Scili-




Scilicet inter creditorem et debitorem, dum inter se mutuum contrahunt, societatem tacitam intercedere vel saltem exinde constat, quod creditor pecunia quidem parata instructus ex eadem tamen operis suis lucrum sibi comparare quomodocunque impeditus sit, alter vero debitor operis quidem sibi lucrum quaerere didicerit, pecunia tamen, vnde aliquod lucrum sibi acquirere potest, destituatur. Finis autem, qui ab vno vel plane non vel non satis commode, a duobus vero aut pluribus vel simpliciter vel commode magis obtineri potest, **COMMUNIS** et pactum duorum vel plurium de fine communi obtinendo inritum dicitur **SOCIETAS** §. 442. Iur. mei socialis. Verum in societate, quam duo vel plures de rebus et operis lucri communis causa conferendis ineunt, lucrum quoque inde proueniens secundum naturam societatis rebus et operis collatis nec minus periculo, quod vnus vel alter subit, proportionatum esse debet. L. 6. L. 29. pr. L. 80. ff. pro socio **FRANZKIVS** in *Comment. ad Pand.* §. 57. tit. pro socio. Et lucrum ex pecunia mutuo data proueniens efficit vsuras, vti colligitur ex can. 4. c. 14. Q. 3. L. 11. §. 1. ff. de vsur. et fruct. L. 23. 26. pr. L. 14. et 16. C. cod. L. 19. §. 2. ff. de Aedil. edict. L. 24. ff. de praescript. verb. L. 30. pr. ff. de alim. leg. L. 60. pr. ff. pro socio L. 58. §. 2. et 6. ff. ad SCt. Trebell. *Ob eam igitur, quae in mutuo concipitur, societatem vsurae inter creditorem et debitorem ita distribuendae, vt non solum sorti verum quoque operis debitoris aut periculo ab vno vel altero subeundo proportionatae reddantur* **LEYSER** ad *Pand. specim.* 24. m. 1. et 2.

Lucrum, quod accedente debitoris diligentia ex pecunia mutuo data proficiscitur non minus ac pretium operarum et periculum fructibus futurum vix, ac ne vix quidem, ab initio contractus, definiiri potest, quod per se patet. Quantitatem itaque vsurarum secundum regulam societatis legibus ita definire, vt ista non sorti solum et operis



operis debitoris, sed et periculo virique contrahentium futuro proportionata reddatur, apud omnes fere gentes inter negotia difficillima relatum fuit. Vnde primis Romanorum temporibus propterea, quod quantitatem usurarum legibus nondum definitam deprehenderent foeneratores a ciuibus in necessitate quadam constitutis vsuras iusto et aequo contrarias, ideoque immodicas sibi stipulari coeperunt. Noodt de foenore et vsuris lib. 2. c. 5. Donec vehementiores tumultus, in quos ob poenam obaeratorum duriozem rapiebantur, ansam praebuit vsuras ad centesimas h. e. XII. pro centum restringendi, ita tamen, vt nunquam vltra alterum tantum adscenderent. CUIACII *Obseruat. lib. 21. c. 9. B. a WERNHER P. 3. Obseru. I. n. 17. et 18.* Mutato deinde rerum et operarum ad vitam quotidianam necessariorum pretio, *alium quidem priori nequiores vsurarum modum IUSTINIANVS imperator L. 26. de Vsuris praescripsit*, lucrum, quod ex pecunia mutuo data ad debitorem redundat, nec minus ac operas debitoris et periculum sortis respicientem, hac tamen ratione, vt secundum leges antiquas vsurae nunquam vltra alterum tantum se extendant. Cum primis vero Imperator IUSTINIANVS lege *prohibitiua* clare satis et distincte *saniuit*, ne creditor vltra legitimas vsuras, licet istas ipse a debitore sibi stipularus fuerit, exigere possit, et si illas vltra modum legitimum extorserit, excessus legitimarum in sortem imputari debeat. L. 26. et L. 27. *de Vsur.* Ast ne sic quidem iniquitates foeneratorum impedire potuit imperator, quin potius ipsae causarum figurae, sub quibus imperator modo *tertiam partem centesimarum*, modo *bestem* seu VIII. pro centum, modo *dimidiam* seu VI. pro centum creditoribus permisit, iniquis foeneratoribus ansam porrigerent, vt sub hac vel illa specie, quam allegabant, pro re nata immodicas adhuc a debitoribus extorquerent vsuras. Hinc post varias in comitiis Imper. Rom. Germanici institutas de legitima vsurarum quantitate deliberationes, vti apparet ex Recept. Imp. de anno 1500. tit.






26. §. 8. de anno 1548. tit. 20. §. 6. de anno 1582. tandem ex interpretatione quasi authentica. L. 17. pr. ff. de Viur. L. 7. §. 10. ff. de adminiftr. et peric. tutor. L. 16. §. 2. ff. de alim. et cibar. legat. ab imperatoribus in Re-  
 cessibus imperii de anno 1577. tit. von wucherl. Contract  
 de anno 1600. §. 39. de anno 1554. §. 174. *in vniuersali  
 constitutum. ne creditor vnquam vltra quincunces ex pecunia  
 mutuo data a debitore exigat vsuras*, speciebus iis omnibus  
 praeculsiis, quas Iustinianus in L. cit. 26. *de Usur.* deter-  
 minauit, et quae olim varias in foro excitauerant di-  
 scepationes.


Verum enim vero has recessuum imperii sanctiones  
 a iustitiae aequitatisque ratione recedere obiicis, ideoque  
 Recessibus imperii non adeo stricte inhaerendum, quin  
 potius eosdem ex iure Iustiniano ad iustitiam aequitatem-  
 que naturalem, si qua derur occasio, reducidos esse con-  
 tendis ex argum L. 8. C. de iudiciis. Quippe cum in  
 Recessibus imperii neque *lucri* ex mutuo prouenientis,  
 neque *operarum*, quas debitor praestat, neque *periculi*,  
 quod vterque contrahentium in casu dato subit, ratio ha-  
 beri soleat, quam tamen IUSTINIANVS imperator in L.  
 26. *de Usur.* omni cura et prudentia respexit, ita, vt eius-  
 dem constitutio, quae varios casus in mutuo occurrentes  
 distinguit, cum praecipis naturalibus et gentium §. 1. in-  
 digitatis, egregie consentiat. Attamen non adeo difficilis  
 mihi videtur ad has obiectiones responsio. Casuum enim  
 in mutuo occurrentium formatio et decisio, quam Imper.  
 IUSTINIANVS in L. cit. subministravit, iniquis foenerato-  
 ribus, propter inueteratam eorum lucrandi cupidinem, an-  
 sam dederat, sub specie huius vel illius Casus in iure Iu-  
 stiniano decisi in fraudem Legis sua exercendi iniquitatis  
 artificia, debitoresque suos fortunae iniuria offensos, va-  
 riis iisque sumtuosis defatigandi processibus. Iurispru-  
 dentia vero legislatoria postulat, vt in legibus ciuilibus  
 aliquid simpliciter prohibeatur aut praecipatur, quod in  
 L.L.





L.L. naturalibus et gentium, non nisi sub adiecta determinatione prohibitum aut praeceptum, si nimirum in ciuitate alias ob adiectam determinationem lites orirentur innumerabiles, ipsique ciues occasionem nanciscerentur, legum defraudandi sanctitatem (§. 512. Cor. 4. Iur. Nat.). *Quare iure civili vniuersali maxime conuenienter in Reecessibus imperii allegatis vniuersaliter sancitum, quod imperator Iustinianus non nisi sub certis determinationibus constituit.*

Prouisiones legis non nisi lege permissua nituntur. Alioquin enim latis per prouisionem hominis contrariam expressam nunquam tolli possent. Siquidem lex permissua alicui immediate ius agendi confert: Vfus vero vel non vsus iuris in se spectatus nostro regulariter arbitrio relinquunt (§. 284. Iur. Natur.). Contra vero lex prohibitiua aut praeceptiua immediate alicui imponit obligationem. Neminem vero suae obligationi, nec ideo iuri prohibitiuo, vti vocant, renunciare posse palam est. Cum itaque Recessus imperii supra allegari creditoribus obligationem, eandemque negatiuam, immediate imponant, ne vltra quincunces ex pecunia mutuo data vsurarum loco a debitoribus exigant. Dubium non est, quin *Recessus imperii citati* non nisi legibus prohibitiuis adscribi possent: ideoque omnis in iisdem exulat legis prouisio; Idcirco iuris oeconomiae prorsus repugnat, si quis asserere vellet, hanc legis prohibitionem per prouisionem hominis scilicet debitoris contrariam, h. e. per promissionem semisium vsurarum tolli posse: Quin potius *acceptatio huius promissi*, quod legi prohibitiuae manifeste contrariatur, *ex recessibus imperii* semper ad illicita pertinet, *quae nunquam acceptanti creditori ius aliquod conferre possunt.* (§. 259. c. 1. et 403. Iur. Natur.). *Nec confirmatione huius promissi debitoris autoritate iudiciali facta res mutari creditorique exinde ius semisses promissas exigendi acquiri potest.* Talis enim confirmatio iudicis taleque decretum, quod aperte contra recessus imperii, ideoque contra ius in thesi latum, ipso iure




iure nullum esset, L. 1. §. 2. ff. quae sent. sine Appell. nec creditori ius conferre, nec debitori obligationem imponere posset: ideoque recte idem illud, quod in hoc casu contra recessum imper. vltra quincunces solum ex arg. L. 26. de *Vfur. ipsi sorti detrahendum est.* B. a WERNHER P. 8. *Obferu.* 420.

Interim negandum non est, quin Status imperii ob rationes speciales a rigore Recessuum imperii recedere atque lege provinciali in minutis praesertim summis mutuo datis, permittere possint, vt loco quincuncium, semisses vsurae, si ita expresse inter se conueniant, exsoluantur. Status enim imperii, si circumstantiae particulares alicuius provinciae id desiderant, leges condere possunt iuri communi et recessibus imperii derogantes, *СТАРЫЙ Usus Pand. Modern. tit. de LL. Sc. et Long. Consu.* §. 6. 7. et 8. Talem permissionem Constitutio provincialis Brandenb. Culmb. tit. 1. §. 7. nobis exhibet. Quid vero si existente tali constitutione debitor non verbis specialibus sed generalibus *landübliche Zinsen* promississet: Creditorem tamen non obstante tali constitutione provinciali, non nisi quincunces exigere posse existimo; partim ex hac ratione, quod contra eum sit facienda interpretatio, qui clarius loqui debuit, partim, quod talis constitutio provincialis procul dubio sit ius singulare contra recessus imperii statutum, sed ius singulare non est producendum ad consequentiam, L. 14. ff. de LL. princeps enim hoc voluisse neutiquam praesumitur. §. 6. I. de I. N. G. et C. Id, quod egregie consentit cum constitut. nostra prou. Brand. l. c. Verba sunt haec: Die Convention zwischen dem Creditore und Debitore auf 6. pro cent für die lähliche Zinsen, sollen zwar hiermit zugelassen, auch darauf in iudicando et exsequendo reflectirt werden: daferne aber die Zinsen entweder gar nicht oder doch nur in genere und ohne Expression des Quanti stipulirt werden: Sollen mehr nicht, denn nach Ausweis des Reichs Abschieds, 5 pro cent alllählich passiren, und darauf sententronirt werden.

Licet




Licet autem lege provinciali semisses vsuras contra recessus imperii in quodam casu permitti posse, facile largiar: Consuetudine tamen easdem introduci posse, nemo facile mihi persuadebit. Talis enim consuetudo Legibus imperii ex aequo et bono determinatis manifeste repugnet, ideoque rationalibus minime adscribi possit. Subditis vero seu potius improbis foeneratoribus datum non est contra leges publicas prohibitiuas aliquid moliri, L. 2. C. quae sit long. consuetud. eamque ob causam principes imperii talem consuetudinem subditorum approbasse neutiquam praesumuntur, et consequenter ista vim legis non scriptae nunquam nancisci poterit. LEYSER *ad Pand. Spec.* 245. m. 3. Nec creditorem semisses vsuras a debitore ex promisso eius exigentem iuuabit, si plures forsitan sententias per diuturnum temporis interuallum in aliqua provincia latas pro se allegaret. Omnes enim, nisi lex provincialis scripta adsit, contra legem publicam prohibitiuam latas esse, manifeste ex Recessibus imperii apparet. Ideoque neutra earum, quoad hunc passum, scil. semisses vsuras subsisteret, et effectus civiles produceret. L. 1. §. 2. ff. quae sent. sine Appell. Minime igitur opinioni, quam alii sub his determinationibus amplectuntur subscribendum esse arbitror; Praesertim ob hanc rationem, quod recessus imperii supra citati procul dubio interpretationes authenticae eorum textuum ciuiliu sunt, quos supra (§. 4.) allegaui. Hinc nullus dubiro, quin ea, quae in recessibus imperii cit. nondum definita sunt, ex L. 6. cit. C. *de Vsur.* declarari possint. Conf. BERGERI *Oecon. Iur.* Lib. 1. tit. 1. §. 28. n. 2. add. meam *Pandect. Dilucid. Praelim. I.* §. 17. Concl. 1-4. Imperator vero IUSTINIANVS in L. cit. 6. §. 2. in med. omnem consuetudinem huic Legi prohibitiuae contrariam expresse exclusit his verbis: **NE CLI- CEAT IVDICI MEMORATAM AVGERE TAXATIO- NEM OCCASIONE CONSVETVDINIS IN REGIONE OBTINENTIS.** Ea propter nisi lex provincialis scripta adsit, nec consuetudo variis licet sententiis antea latis stipata,



*creditori, qui usuras ultra quincunces sibi promissas petit, contra Reccessus imperii auxilium praestare valebit.*


Plura de hac re adducere praesentis instituti ratio prohibet, potius ista efflagitat, ut ea explicem, quae Nobilissimum atque clarissimum nostrum iuris utriusque Candidatum IOANNEM FRIDERICVM HAVSCHILD, Dresdensem, eiusdemque instantem promotionem concernunt. Postquam igitur Nobilissimus noster Candidatus suum desiderium summos in utroque iure honores capessendi, ea qua par est animi obseruantia nostrae Facultati exposuit, ac deinde in utroque examine praecclare sterit ad disputationem in inauguralem publice defendendam ex decreto Ordinis nostri admissus fuit. Cui documento publico ut more maiorum procedamus, praemittere licebit ipsius Candidati Dignissimi vitae et studiorum curriculum, quod ita conscriptum nobis exhibuit.

Natus est Dresdae d. XVI. Decembr. MDCCXXXIV. Patre IOANNE LEONHARDO I. V. D. Serenissimi Marchionis Brandenburgico-Culmbacensis Consiliario Aulico, et Caesarum Patrono in patria vrbe celeberrimo, quem ut Deus O. M. diutissime incolumem seruet ex gratissimo animo idque eo magis exoptat, quum mater desideratissima, IOHANNA SOPHIA nata GOTTSCHALCHIA, ante paucos menses acerbo fato illi adempta fuerit, cuius sempiternam memoriam summa coler pietate. Primae institutioni in bonarum artium rudimentis priuati praesumere praecipuos, in quibus eligendis optimi parentis praecipuam curam laudat, simulque in patria schola quae Cruciana vocatur, B. KRETZSCHMARI priuatis interfuit lectionibus. Postea per biennium Altenburgensis Gymnasii membrum ibi praecclariss. et amplissimos viros MOERLINVM et RANISCHIVM, itemque B. WEBERVM praecipuos habuit, et deinde per alterum biennium Freybergae viros praecclariss. spectatissimosque YDERMAN-

MANNVM atque LVTHERVVM docentes audiuit. Sic ad  
 altiora bene praeparatus, Lipsiam anno MDCCCLII  
 petiit, ibique primo de Theologiae studiis amplectendis  
 nonnihil cogitans, praeter philosophicas Summe Ven.  
 CRVSII praelectiones, eius etiam theologicas varias, si-  
 cuti et Summe Rev. ERNESTII exegeticas frequentavit,  
 postea autem consilio murato Iurisprudentiae potius in-  
 cumbens, ex celeberrimorum Ictorum Ill. HOMMELII  
 Excell. ZOLLERI, B. BACHII, B. SIGELII, et inpri-  
 mis praecellentiss. SAMMETI institutione plurimum pro-  
 fecisse confitetur, praeterea B. IOECHERI, summe Ven.  
 ERNESTII, B. CHRISTII, praecleariss. GELLERTI,  
 aliorumque praelectionibus in historiam, humanarumque  
 artium varias partes sedulo interfuit. Quinquennio sic  
 Lipsiae absoluto illam anno huius saeculi LVII, cum  
 paulo ante nouissimum illud exitiale bellum patriam in-  
 uasisset, reliquit, et domi sub ductu parentis aliquid  
 temporis practicis tribuit, donec eodem adhuc anno Vi-  
 tembergam profectus, ibi sub praesidio Ill. ERNEST.  
 MART. CHLADENII disputationem suam, *singularia*  
*quaedam de Syndicis et Instrumento Syndicatus* proponen-  
 tem, publice defendit, et pro praxi solitum exa-  
 men sustinuit, ex quo omnino dignus iudicatus est,  
 cui potestas fieret, causas in foro orandi. His pera-  
 ctis ceterisque officiis ab eo praestitis a supremo Regi-  
 mine Dresdeni adhuc illo ipso anno MDCCCLVII.  
 in numerum Aduocatorum receptus, de hinc Clie-  
 rum causas omni cura in foro tractauit, quocirca  
 parentis sui cognitione atque ductu beneficiisque quam  
 maxime adiutum fuisse, gratissima mente debitis effert  
 laudibus. Nunc cum rei suae conueniens existimaret,  
 summos in lure honores sibi acquirere, Nostrum ordi-  
 nem adiit, et in hunc finem solitis examinibus se sub-  
 misit.

Differ.



Dissertationem vero inauguralem de *Fructibus à ma-  
 lae Fidei Possessore restituendis eorumque usuvis*, quam pro-  
 prio Marte elaboravit mihique ad approbandum tradidit,  
 die XXI. Jul. examini eruditorum publice subiicit atque  
 contra dubia Dominorum Dissidentium defendet. Quare  
 ut huic actui solenni **MAGNIFICVS DOMINVS PRO-  
 RECTOR CVM SENATV**, nec minus **GENEROSIS-  
 SIMI** atque **NOBILISSIMI CIVES**, omnesque litte-  
 rarum **FAVTORES** interesse, eundemque honorifica sua  
 praesentia condecorare velint, meo et Ordinis mei nomine  
 omni animi obseruantia et humanitate rogo atque contem-  
 do. P. P. in Alma Fridericana Erlangensi d. XXI.  
 Jul. MDCCLXIV.



ULB Halle


005 355 311

3









8549

7

PROGRAMMA INAUGURALE 1764, 3  
IO. IVSTINI SCHIERSCHMIDII D.  
SERENISSIMO MARGGRAVIO BRANDENBURG. CVLMBAC.  
A CONSILII AVLICIS ANTECESSORIS ET PHILOSOPHIAE  
PRACTICAE PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII  
FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORIS ET H. T. DECANI

DE VSVRIS  
VLTRA QVINCVNCES LICET  
PROMISSIS NON EXIGENDIS

DISSERTATIONI INAUGURALI  
NOBILISSIMI ATQVE CLARISSIMI VTRIVSQVE  
IVRIS CANDIDATI  
IOANNIS FRIDERICI HAVSCHILD  
DRESDENSIS  
ADVOCATI SAXONICI IMMATRICVLATI  
DE  
FRVCTIBVS A MALAE FIDEI  
POSSESSORE RESTITVENDIS  
EORVMQVAE VSVRIS  
PRAEMISSVM.



ERLANGAE

TYPIS WALTHERIANIS MDCCLXIV.